

menter commoveri. Habet namque Re-
gum & Monarcharum favor semper qui-
dem aliquid in se augusti, sed præcipue
quando is theatrum eligit, non fortuito
invenit, nec casu obrepit, sed ex meritis
resultat. Spartam vero hanc glorioſam
ita exornavit B. Heros, ut non minorem
de ſe dignitatem illi adderet, quam ex
illa accepit. Parcissimus honorum ſuo-
rum æſtimator laudis proventum non
præoccupavit, ſed eousque diſtulit, donec
aliorum judiciis in illum cumularetur.
Authoritatem aliis non diminuit, ſed ſu-
am conservavit; quin imo auxit, cum &
ipſe alios revereretur. Sed jam demum
grave cum Danis accenditur bellum. Cu-
jus cauſa abeunte Holmiâ Rege, Regioq;
Drotzeto, B. Beroi continuo ibi manendi
necessitas imposita eſt, tam ob Cancella-
riam Regiam, cuius cura illi non ita pridem
demandata erat, quam litigantium acta in

Revi-

Revisione nomine Regis proponenda, usque ad justam sententiam promovenda. Magnificum quidem, sed grave munus! e, oque magis quo sedentaria vita animique labor continuus corporis ejus constitutioni si non ruinam minari, saltem nocere magis videbatur. Proinde otium hocce metuens inde liberari, aliique sanitati magis proficuo muneri terra vel mari praefici optabat; Verum incomparabili ejus industria adeo confidebat Rex, ut omnia bene & pro dignitate curatum iri B. Heroe praesente, secus vero illo absente, fuerit persuasus. In voluntate itaq; Regis lubentissime acquiescens, sibi credita pro solito urgebat, nec ullis unquam pro salute publica laboribus defatigabatur. Adveniente vero Rege, fidelium ministrorum remuneratore largissimo, primum Westro-Gothiæ Dahliaæque Judex Provincialis, mox summi Judicij Regii Holmensis

Præ-

Præses, celsissimo in utroque succedendo
Parenti, statuitur & confirmatur. O! Quam
pulcrum, quam rarum, quam gloriosum
tantum Filium tanti Patris tam excelsam
occupare sedem. Gaudebat Themis, ex-
ultabat orbis hyperboreus. Arduum certè,
si quid aliud, ac difficile populis jura di-
stribuere, causas examinare, præmia lar-
giri, poenas ac mortem irrogare, nocen-
tibus simul ac bonis satisfacere, ubi metus,
odium aut gratia conscientiam sæpe cor-
rumpunt; Sed unus B. Heros tantæ moli
sustinendæ suffecit: Nam in omnibus
quod rectissimum erat sensit & suavit: In
judiciis gravis, in dicendis sententiis æ-
quus, nullius studio, nullius æmulatione
a veri bonique tramite unquam deflexus.
Necessitas subditorum non per interpretes,
sed auribus propriis exceptit, cum nemini
mallet quam sibi credere de iis, in quibus
officii rationem versari cognosceret. Hinc
carus

carus Regi, jucundus Collegis, subditis
venerabundus. Officiorum & honoris
sic satur videri poterat B. Heros; Sed spe-
cata illius in Patriam fides ad plura ope-
ram ejus poscebat. Sic Regiae hujus Acade-
miæ Cancellarius fieri debuit. Quanto
vero gaudio, quot gratulantium vocibus
acceptus est strenuissimus hic STATOR:
Quid spei, quid animi omnibus inde ac-
cesserit, exprimere nequeo. Communis
vox erat, Jam felicibus

*Ingeniis aperitur iter despectaque Musæ
Colla levant.*

Nec fefellit omen: Qua in re enim o-
pem ejus implorabat salus Academica,
nulla penes ipsum, vel curis occupatissi-
mum, mora, nullum fastidium differebat,
sed cuncta citò, jucundè & clementer
promovebat. Ipse met supra communem
sortem doctus, doctos doctrinæq; aman-
tes æstimavit, fataque eorum sibi curæ

H cor-

cordique esse nunquam non significare
dignatus est. Unde & eo majus deside-
rium nostrum! eo gravior, quam fecimus,
jactura! Decreverat S.^a R.^a Maj.^{tas} adcura-
tam in Regio Tribunal Wismariæ institu-
ere visitationem, tam ad videndum qua ra-
tione ibi administrata fuerat justitia, quam
ad casus aliquos inter Regium hoc judi-
cium Administratoresque Pomeranicos &
Bremenses ortos decidendum componen-
dumque. Res autem tanto gravioris erat
ponderis, quanto omnium visitatio hæc e-
rat prima, quæque omnibus ibi unquam
futuris canon foret & regula. Qvæstio
tantum erat cuinam demandaretur? Sed
& hic coram omnium oculis fulgentissimi
instar syderis lucebat B. Herois incompa-
rabilis in Regem & Patriam fides stupen-
daque Legum Regni Romani scientia cum
inusitata conjuncta prudentia. Cui ergo alii
præter illum? His itaque ducibus opus
ag-

agreditur, omniq[ue] superata difficultate,
brevi ad eum id statum, in quo nunc est,
perducit. Testem verò optati successus
in perennem sui laudem à se consignatum,
à Rege clementer adprobatum, orbique
universo communicatum visitationis ita
dictum, Recessum reliquit. His aliisque si-
mul in publico Pomeraniæ ordinum con-
ventu eadem expeditione defunctus, do-
mum rediit, summasque functiones ordina-
rias aliquot annos obivit: donec alio ite-
rum B. Heroa exploratissimum pariter ac
felicissimum divini ejus ingenii robur re-
vocavit. Reductionis in Pomerania antea
inceptum opus ad finem perduci vo-
luit. Quod ipsum ut magnificum ita o-
nerosum valde S.^æ R.^æ M.ⁱ B. Heroi, il-
lustriſſimoq[ue] Comiti & Campi Mare-
ſchallo Domino NICOLAO Bielke/
injungere placuit. Hic vero spectaba-
tur maximè qvalem in illo virum Rex
ha-

habuit. Voluntatem subditorum & neceſſitatem Reipublicæ res plerumque diſſociabiles, tanta prudentia miſcuit, ut Regis voluntatem in omnibus ſervando, cunctis nihilominus occaſionem querendi præripuerit. Dura initio videbatur propositio, ſed adeo ſolide rem demonſtravit, animorumqve intima ſimul occuſavit ut non ad vanas querelas, ſed obedientiam Regi præſtandam cuncti certatim contendenter. Ipsi ordinum deputati tam juſtum & æquum, tam ſapiēntem & prudentem Directorem ſum-mopere admirabantur, ſibique invicem de eo gratulabantur, maximo honori ducentes tanto Præſidi fuiffe Aſſeffores. Qva vero fide & industria qvoqve ze-lo acta ſint hæcce & traſfacta, non o-pus eſt loqui. Loquuntur de eo pluri-ma, eaque vel calamo tantum conſigna-ta, vel publicæ etiam luci data & ex in-ti-

timis Juris recessibus hausta Scripta, non
sine assiduo labore nocturnisque vigiliis,
sæpe etiam supra vires, in statu præcipue
valetudinario, protractis, edita. Faciamus
interim Acta tacere publica, eqvidem su-
pra millenis erit testibus qvod REX ipse
merita agnoscere & loqui non fastidit.
Adeo Huic fere soli datum fuit in rebus
inaccessis spem omnium superare &
REGIS desideria adimplere! Care satis
emit sua trophæa bonus quisque miles;
sed nec pacis virtutes in molli cultorum
suorum gremio coronam expectant, quin
molestiæ, curarum & laboris magnitu-
dine illam sibi decerni cupiunt. Hoc Tu
fecisti B. Heros, quod etiam in laudum
Tuarum tabulas grata refert referetque
Svecia. Sed vero dum hæc meditor, in-
timum mihi pectus cohorrescit

Arrebatque come stant & vox fauibus baret.

I

Ge-

Gestavit B. Heros animum in mediis
tempestatibus inconcussum, in secundis
placidum, in arduis felicem: Gestavit
mentem cœlo & immortalitati natam:
Gestavit dotes Regi pretiosas, Patriæ &
veræ Religioni salutares, virtutes gloriae
per orbem commendatissimas; Sed tra-
xit quoque corpus caducum, fragile,
mortale, unde & illi fato tandem suo
erat concedendum. In medio itaque
gloriæ curriculo, inter tot trophæa con-
stitutus, dum Regi fidelissime servit, dum
Patriæ bona meditatur, dum utriusque
causâ sui ipsius obliviscitur, elabuntur illi
vires, afficitur corpus & fatalis contrahitur
morbis. Qvo cum diutius quidem con-
flictatus est, Medicorum tamen sollicita
opera interposita, urgente divina Conjuge
& DEUM sedulo precante, ita in gratiam
rediit, ut spem soverit aliqualem se iter,
qvod

qvod foris domum susceperebat, absolutum
Regisque manum, quod sumimum vo-
torum erat, gestorum ratione exposita,
seculatum fore. Ast non prius fere pa-
triam hancce terrenam vidit, quam

Qvis talia fando temperet a lacrymis?

æternam animam Patriæ æternæ & ge-
nuinæ post tot exantlatos labores, omni
abjecta sollicitudine, inter preces & suspi-
ria : **DEUS PACATOR MIHI PECCATORI!** in præ-
dio suo prope Calmariam, Wernenäs di-
cto asseruit restituitque. Sic semel vixisti
DELAGARDIE, semel vicisti, semel
nunc sed æternum triumphas! Qvi escat
placide animi Tui habitaculum, quod in
conditorio jacet! Surgat fama, surgat ho-
nos qvi per secula in memoria posteror-
um perennat ! Interim, Illustrissime He-
ros, si vota precesque hominum non re-

for-

formident Manes piorum, extremas has
& humiles Academiæ Tuæ voces accipe:
Salve Cancellarie benignissime, salve Tu-
tor optime, salve Protector desidera-
tissime, salve & æternum
vale!

